

**2006-09-23 – SS Benedictus XVI – Epistula ‘Nobile et Equum’**

BENEDICTVS XVI

**EPISTULA DATA  
ANGELO S. R. E. CARDINALI SODANO,  
SECRETARIO STATUS EMERITO  
DECANO COLLEGII CARDINALIUM**

*Venerabili Fratri Nostro  
ANGELO S.R.E. CARDINALI SODANO  
Secretario Status emerito  
Decano Collegii Cardinalium*

Nobile et aequum est iura propriae libertatis et religionis defendere et servare. Nam "vera libertas eximium est divinae imaginis in homine signum" (*Gaudium et spes*, 17). Ideo Ecclesia iustum dignitatem libertatemque iure tuendas censet: "Homo enim a Deo creante intellegens ac liber in societate constitutur" (*ibid.*, 21). Ii autem qui huius rei causa iniurias patiuntur vel vitam amittunt digni sunt laudis piaeque recordationis.

Sicut ergo quinquaginta ante annos venerandae memoriae Decessor Noster Pius PP. XII Hungariae populum libertatem suam defendantem sollerti animo precibus est comitatus et verbis consolatus, ita et Nos in praesens libentissime favere volumus sollemnibus celebrationibus quae mox Budapestini agentur in quinquagesima anniversaria memoria illius heroicæ defensionis libertatis Nationalis.

Persuasum quidem habemus huiusmodi eventum proficere posse fidei et unitati illius nobilis Nationis totiusque Europæ. Libenter igitur accepimus invitationem honorabilis Praesidis Hungariae Ladislai Sólyom. Cum autem Ipsimet illuc accedere non possimus, tibi, Venerabilis Frater Noster, qui magna prudentia et peritia Romani Pontificis cotidiana tam diu curavisti gravissima officia in totius Ecclesiae utilitatem, libenter fidenterque singulare hoc munus explendum committere volumus.

Quapropter harum Litterarum vi Nostrum Legatum te nominamus sollemnem ad commemorationem quae Budapestini diebus XXII et XXIII proximi mensis Octobris fiet, occasione data celebrationis libertatis Hungariae. Nostras igitur vices ages, ritibus sollemnibus prae sidebis, cunctis adstantibus Nostram congrue transmittes salutationem, prae cipue Hungariae Praesidi cunctisque Magistratibus et sacris Pastoribus; Nostram omnibus confirmabis benevolentiam, caritatem et spiritalem prae sentiam. Hortari potes Synodæ Vaticanæ verbis omnes, "praesertim vero eos qui curam habent alios educandi, ut homines formare satagant, qui ordini moralı ob sequentes legitimae auctoritati oboediant et genuinae libertatis amatores sint" (*Dignitatis humanae*, 8).

Legationem tuam solliciti committimus validae intercessioni Magnae Dominae Hungariae necnon sanctorum Stephani et Ioannis de Capestrano, spe ducti ut eventus hic in illius Nationis bonum proficiat eiusque corroboret fidem, maturioresque simul gignat fructus caritatis et pacis. Benedictionem denique Apostolicam, caelestis gratiae pignus et Nostræ communionis testem, nomine Nostro omnibus huius celebrationis participibus per amanter largiaris volumus.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Septembris, anno MMVI, Pontificatus Nostri altero.*

BENEDICTVS PP. XVI